



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Soliditate Virtutis In Religioso Societatis Jesu requisita  
Considerationes R. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu**

**Druzbicki, Kaspar**

**Coloniæ, 1721**

Consid. 23. Quænam signa solidæ virtutis sint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60934)

quàm si illud subingredi non possit Dei gratia? Væ animæ, in qua Christus non potest ullas virtutes operari! *Operemur ergo, dum lucem habemus, ne nos tenebra comprehendant*, ne veniat tempus, in quo & cor nostrum non possit operari, & Deus in corde non possit virtutem ullam facere. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, ad Deum, ad proximum, ad nos, ad omnem creaturam; ut crescamus in viros perfectos, in vasa auri solida, in mensuram atatis plenitudinis Christi.*

## D I E S IX.

*De signis solidæ virtutis.*

## CONSIDERATIO XXIII.

*Quenam signa solidæ virtutis sint.*



**A**D coronidem tandem deduximus solidam virtutem. Signa ejus exponimus; ut qui signa viderit ejus in se, gratuletur illam sibi inesse, meminerit tamen, *ut in Domino gloriatur*, ne sit ad insipientiam sibi: qui verò minùs ea in se deprehenderit, curet omni meliori modo, & ea tandem in castello animæ suæ collocet, ut ipse de eorum præsentia apud se non minùs gaudere quàm securus *in idipsum dormire sub alis Domini Virtutum possit*. Et est quidem Virtus solida, ipsa sibi signum satis evidens; neque enim se occultare potest sibi. Sed tamen habet & alia signa, per quæ cognosci possit, etiam ab aliis, alioqui ipsi de sese testimonium perhibenti non credituris.

1. signum est difficultas, pravè & imperfectè agendi; facilitas autem, & veluti naturalis [ per virtutis exercitium atque usum patra ] rectè, sanctè, sublimiter agendi vivendique facultas. Ita ut homo sit sibi obsequens, & facilis ad omnia; neque in se gravem aut periculosam sentiat carnem, sed spiritui obsequentem consentientem, & quodammodo collaborantè: ad hoc enim adjutorium istud terrenum spiritui nostro datum est ab initio, ut esset instrumentum virtutis; sed, ex peccato, factum est impedimentum. Jam ergo si reformetur, & iterum instrumenti officium obire amet, in suum statum pristinum reductum esse nemo dubitet. Atque in hoc signo, continetur etiam passionum quies & subjectio, ut non nisi sint ad rationem, non verò contra illam; in hoc signo continetur etiam propensionum instabilitas, ut non proripiant neque præcipitent se, mentemve secum, sed ejus imperium atque consilium expectent. Multò autem magis hic continetur etiam gulæ, [ & quæ gulam consequuntur, additamentorum Leviathan ] consopitio, & quasi intractio, ut non necesse sit homini bestias illas ut efferatas horrere, sed ut mitigatas cohibere.

2. Signum est puritas cordis ( atque etiam consequenter corporis ) quâ niteat cor in conspectu Dei, tanquam vas auri mundum solidumque & artificis manu diligenter elaboratum. Non sordeat peccatis gravibus, non venialibus, non voluntariis, non per negligentiam subrepentibus, vix diligentiam effugientibus & vigilias animæ excubantis vincentibus. Non horreat vitiis nec vitiolis seu

habitibus pravis, non propendeat in malum gravius, non agitetur passionibus, non fuligine aut caligine obscuretur concupiscentiæ & phantasmatum, sed sedata & defecata mens, velut sudo cælo sol, sic resplendeat in rationali suo cælo, resplendeat intentione sublimatâ, Divinæ præsentiaæ jugi conspectu, inviolatâ (cum Dei voluntate) in omnibus conformatione, denique humilitate & caritate, cogitationibus non solum puris & sanctis, sed etiam sublimibus & altis, rationibusque æternis. In hac puritate cordis includo etiam simplicitatem mentis atque bonitatem, quâ homo spiritualis omnia intruetur & recipit, prout sunt, sine doli suspitione: quâ item nec timet decipi, nec decipit: quâ loquitur, ut res sunt: est, est: non, non. Includo etiam illæfibilitatem quandam. Homo perfectus nec lædere novit, etiam læsus. Sentit, sed læsionem suâ, ac si omnia ad mentem essent dicta factâve sibi, accipit, malum pro malo non reddit; immò malum sibi factum aut non agnoscit, aut non in se detortum putat, aut elevat, aut excusat. Amat odientem, in bono malum vincit, & magis dolore vel peccato adversarii uritur, quàm adversitate suâ. Inter malos bonus est; ex malis bona eruit; malè agentes, nisi notoriè agant, non judicat. Tales mores non nisi in ampla virtute, lata mente, puro & à felle libero corde, inveniri solent, unde & ejus signum sunt.

3. Signum est perpetua pax cordis & conscientiaæ tranquillitas atque serenitas, quæ potest stare cum inferioris partis extraneis afflictionibus, sive illæ sint corporeæ, ut dolores, sive à spiritu maligno advenientes

nientes, ut tentationes, sive à Deo immissæ, ut ariditates atque desolationes: modò ratio sedeat immota, neque turbetur eventibus insperatis, neque dejiciatur, cum non ad mentem quid accidit, neque distrahatur ingruentibus multis, neque torqueatur ambiguus, neque impotens suû sit in subitis & magnis prosperis, nec obsistentibus contraeat, turbatiùs, nec instantibus irruentibusve cedat meticulosiùs, nec inordinatè gaudeat suis bonis successibus, laudibus, plausibus, honoribus, aliorum de se opinionibus: neque vicissim tristetur aut zelet contra eos, qui eum non mirantur, ejus consilia & sensa non probant, eum non consulunt, qui ab eo ad alios recedunt; nec voluntati suæ tenax inhæreat, sed perinde illi omnia sint, esse atque non esse, sic vel aliter esse, quemadmodum Deo placuerit, velle illa esse.

4. Signum est, amoris erga justitiam, veritatem, atque rectitudinem libertas, ut justitiam omnem liberè sequatur, exerceat, fateatur, nullis rationibus humanis à recto deflectat, Rationi semper cedat, veritati locum det, & eam tam libenter agnoscat à quocunque auditam, quàm libenter proferat cuicunque indigenti necessariam: Esto ob id linguas, scommata, irrisiones, censuras, condemnationes, pœnas, multas, exilia, notas, damna, verbera, tormenta, mortem sustinere debeat. Hæc libertas, etiam in minutis observantiis Regularibus exhibita, signum est solidæ virtutis: hæc libertas idola non adorat oculorum humanorum, & sermonum, & favorum. Hæc libertas, mansuetudini conjuncta, reprimit etiam procaces audacias, ut in

suū conspectu atque præsencia peccare formident vel erubescant : manuefacit verò & conciliat, etiam feroces inimicos, ut vel nolentes ament, quos alioqui graves suæ malitiæ nôrunt. Sed ad hoc, ut prædixi, libertas mansuetudini conjungi debet. Nam sola libertatis puritas rigida est & timetur : sola mansuetudinis facilitas mollis est & contemnitur : utraque conjuncta & mutuò concatenata, facit temperiem admirabilem ; & stupendam, ad hominum animos flectendos, Deoque lucrandos, confert gratiam, & insuper ipsi homini adfert securitatem atque soliditatem.

§. Signum est, Stabilitas mentis in Deo, quâ in re intelligo assiduam hominis coram Deo præsentiâ cumque Deo ambulationem. Intelligo vicissim jugem (hominis) Dei memoriam, reverentiam, fruitionem, & omnium quæ agit acturusve est, ex Deo desumptionem, in eumque relationem. Intelligo præterea securitatem hominis de Deo, quâ sic est conformatus sua voluntate cum Divina, in omnibus objectis & objectorum circumstantiis, ut nihil formidet adversi, ac præter suam mentem evenire à Deo : sed perinde ut infans inter ubera & ulnas nutricis securus ludit, moratur, dormit, sic homo inter voluntatem Dei conquiescat; aut sicut Dominus aliquis, cum habet servum fidelem ac prudentem, qualis fuit Ioseph apud Ægyptium, illi omnia permittit curanda, ipse securus & oblitus & ignarus omnium cum amicis quietos agit dies ; sic homo Deo permittit & se, & sua, & totius mundi negotia

goria

gotia, causas, cursus, circumstantiasque curandas, ille autem veluti Magdalena ad pedes Christi sedet, & audit verbum Dei, de soloque Deo cogitat, certus, Deum de se longè sollicitiùs fideiùsque cogitare. Intellego præterea sub hac mentis stabilitate in Deo, confidentiam seu fiduciam de Deo, liberamque ab eo petitionem, & quasi omnia Dei sua essent, sibi que licerent, usurpationem, quomodo sponsi inter se, aut amici intimi atque familiares, res suas mutuò ita usurpant, ac si indiscriminatim unius omnia essent: quæ est quædam sancta de Deo præsumptio, gratissima Deo in suis servis; modò illi in fide non hæsitent, & sic omnia à Deo, quæ cupiunt fieri, futura confidant, ut tamen Deo suam libertatem, definiendi de modo, loco, tempore, difficultatibus futuris, relinquunt, sed finem quidem & exitum, certum veluti habeant, modum autem Deo permittant. Deus enim, qui in fine consequendo suos servos exaudit, in modo libertatem suam servat: quia in modo multa soli Deo nota esse solent, quæ cæteros latent; & in unius negotii exitu, multorum Deus bonorum semen, multorum hominum salutem, multam gloriæ suæ messem reperire solet: quo fit, ut etiam ea, quæ felici fine concludi negotia decrevit, multis difficultatibus & longis trahi sinat; ut dum eæ complanantur, interea salus multorum vel unius alicujus (qui fit instar multorum) vel alia similia bona Deo soli cognita, mira suavitate, coordinentur. In hac ergo moratum injectione & per difficultatum objectionem finis optati extractione Deus liber esse vult; & servi

Ejus libertatem hanc Ei permitttere debent, ac agenda quidem à se agere, sinere tamen, ut ita omnia fiant, prout fieri ipse vult. Hac cautelâ servatâ, erit & præsumptio seu confidentia de Deo plena & sancta; & conformitas voluntatis, cum Dei voluntate, integra.

6. Signum est, Fervor quotidie major, quotidianusque ex fervore profectus. Omnis omnium nostrum vita, motu & cursu, immò volatu constat, quin etiam, ut melius dicam, motus, cursus, & volatus est. Quies in ea nulla fingi potest nisi mors: quid est enim vitam nostram quiescere nisi mori? Ita omninò etiam in spirituali vita est, nec aliter fingendum ac illudendum nobis à nobis est. Vita Spirituallis, etiam vita est. Actio igitur & Actus & motus est. Quietem itaque in hac vitâ velle, est velle mortem, & quis non horret mori spiritu? moritur, quisquis quiescit; quiescit autem qui non progreditur, qui non conatur, qui non fervet, qui non urget. Quis nollet vitam suam corporalem esse quàm vivacissimam, actuosissimam, & quod idem est, ferventissimam? Nempe vivacitas vitæ, signum est sanitatis nostræ, signum absentis longè mortis, & dissolutionis à corpore. Cur ergo in vitâ spiritus non idem sapimus? Cur corpori vitam optamus vivacem & ferventem, animæ autem sinimus vitam esse languidam & torpentem? Spiritus est vita animæ. Vita motus est & actus. Si vita languida est, si spiritus languidus est, quomodo anima mortua non est? rursum autem si spiritus seu vita animæ vivax est, nonne tunc quando fervet? Igitur  
quando

quando spiritus fervet, vita animæ & sanitas viget. Ferveat ergo semper spiritus, & ferveat semper amplius & amplius, tunc anima semper vivet vivacius, semper sanius, semper securius, semper à morte remotius, semper solidius. Solidat ergo animæ vitam, qui ferventiorum quotidie curat habere spiritum; ac denique ferventior semper spiritus, & ex ferventiore spiritu ulterior semper progressus, signum est solidæ virtutis, securæ animæ, solidique spiritus.

7. Signum est Sanctitas practica, quo nomine intelligo aliud nihil, quam quod sæpius hoc in toto tractatu repetii, virtutem, ut sit virtus, esse activam debere & operativam: neque hoc loco aut nomine aliud quidquam designare describere volo. Utor tantum hoc nomine, ut rationem istam, quæ est agere & vivere secundum virtutem, quam commodissime proponam atque explicem; si quo modo quæ me ipsum, quæ alios ad operosam virtutem exsuscitem. Omnia enim alia nihil profunt, si opus virtutis desit. Deus noster actus est, actibus etiam delectatur, actibus præmia promittit: denique ait: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos.* Ex quibus verbis patet, nos dum hic vivimus, operari debere; patet, opera nostra nos post mortem sequi; patet, opera nostra Deo præ omnibus cordi esse, ut quæ sola hinc cum animabus ad cælum admittat, quæque sola hic remanere in terra non sinat; patet, ex operibus nostris beatitudinem pendere. ideo namque mortui beati dicuntur, quia illos eorum opera se-

quantur; si ergo non sequerentur mortuos opera sua, mortui beati non essent; sed quia sequuntur, beati sunt. Et quomodo faciunt opera beatos mortuos? quia propter opera afficiuntur præmio, præmium autem est beatitudo. Si opera non essent, non sequerentur; si non sequerentur, præmium mortuis non daretur; si non daretur præmium, beati non essent; ergo quòd mortui beati sunt, operibus suis debent. At unde opera nisi ab operatione? oportet itaque, dum in hac vita sumus, exerceri nos & occupari omnino operatione; operatione, inquam, sub nomine operationis tam actionem, quàm passionem includendo, ut in hac vita tam agere quàm pati practicè & re ipsa, & quidem quàm plurima & quàm solidissima contendamus. Multi multa sciunt, multi subtiliter de virtutibus disputant; de gradibus perfectionis, de modis proficiendi subtiliter, solidè, affectuosè, efficaciter loquuntur: sed scientiam suam & disputationes, & sermones suos ipsi operibus non exequuntur. Si speculativè tantùm Sancti & perfecti erimus, & hoc satìs esse putabimus, quòd omnia vitæ spiritualis puncta sciamus, & nihil novi ab aliis discere (quod non sciamus) possimus; si hoc, inquam, satìs esse putabimus, neque scientiam nostram ex speculativa practicam, in nostro proprio subjecto, in nobis, inquam, ipsis fecerimus; quid aliud restat, nisi ut etiam præmium cœleste, gloriàmque æternam perfectioni promissam speculativè à nobis haberi, satìs esse dicamus & putemus? Nam speculativæ perfectioni, speculativa ut respondeat

Spondeat beatitudo, necesse est. quòd si speculati-  
vâ beatitudine contenti non sumus, cur ergo san-  
ctitatem perfectionemque speculativam Deo aut  
potiùs nobis obtrudimus, & illam satis esse pura-  
mus? Neque negare possumus, quòd non pute-  
mus, quia ut hoc sermo neget, opera tamen, quæ  
nulla speculationem sequuntur, probant. Si enim  
nihil eorum, quæ de perfectione novimus, re ipsa  
facimus, ergo tantùm speculativam, & non practi-  
cam perfectionem habemus; relinquatur ergo et-  
iam, ut non practicam, sed speculativam beatitudi-  
nem expectemus. Dicimus nos vulgò & crebrò:  
Non est opus nos doceri perfectionem, scimus jam  
ista, hic liber nihil novi habet; ab isto Patre, in  
Colloquio, in Exhortatione, nihil audimus quod  
nesciamus; scimus in quo sit perfectio, scimus  
quid sit institutum. Sanè bene est totum hoc, bene  
ista dicuntur & verè, sed nunquid satis est solum  
hoc? si satis est, igitur etiam satis erit post mortem,  
ut Deus dicat, se scire bene omnia, quæ cui virtu-  
ti, cui gradui virtutis debeantur in cœlo præmia,  
quibus præmiis quæ merita sint à se afficienda &c.  
satis, inquam, erit hoc dici etiam à Deo, & certè  
dicentur ista omnia verè & bene à Deo, sed nun-  
quid sufficienter ad nostram beatitudinem? nihil  
minùs. Igitur etiam illi nostri sermones, non suffi-  
cient ad perfectionem, ut mereamur per illam, cœ-  
lestem beatitudinem. Quare si speculativum præ-  
mium speculativè nobis à Deo dari nolumus; spe-  
culativè etiam Sancti esse, speculatione beatitudi-  
nem mereri, speculativam sanctitatem & nobis pro-  
desse,

desse, & Deo obtrudere nolimus. Practicam sanctitatem quæramus, curemus, sectemur, exerceamus, in illa dies noctesque consumamus. Si scimus speculativè, opus esse homini humilitate, & propter humilitatem humiliatione, practicè id etiam sciamus, hoc est, re ipsa faciamus, re ipsa humiliationes subeamus. Si scimus speculativè, Societatis hominem zelotum esse debere, & animas quærere multorum assiduò, in eoque vitam consumere, sciamus id etiam practicè, & zelum, quem scimus, habendum, habeamus, hoc est, exerceamus & exeramus ita, ut conscientiam nostram effectum & praxi adæquemus vel etiam superemus. Si scimus speculativè, quàm perfectam obedientiam Regulæ nostræ requirunt; Sciamus id etiam practicè, & re ipsa nullum apicem Regularum, quæ sunt de obedientia, prætereamus, quem in obedientia nostra Deus reperire & recompensare non possit. Similes inductiones exemplorum de orationis, reflexionis, puræ intentionis, mortificationis usu &c. quæ optimè speculativè scimus, faciamus, & eas practicè re ipsa in effectum deducamus.

Atque etiam huic ipsi tractatui, hisque de solida virtute considerationibus finem faciamus, ut quod hinc vel docuimus, vel didicimus, practicum reddamus, re ipsa exequamur; & in ipsâ ad praxim seu nostrî seu aliorum cohortatione practici esse laboremus; & in omnibus, praxi, non scientiâ, opere, non cognitione, reales, non verbales sanctissimi.

TU

## TU DOMINE VIRTUTUM

**Q**ui non tam virtus, quàm actus es, & qui ideò Dominus Virtutum vocaris, quia omnium actibus & ipse constas, & nos constare delectaris: da mihi seruo tuo non solùm vocem, non solùm scientiam virtutis, sed etiam opus virtutis. Da mihi Domine, ut quæ tibi placita sunt, sciam, sciendo faciam, faciendo alios doceam, & facere faciam. Da Domine, ut omnis nostra sanctitas in operatione consistat, & in passione propter te, potiùs quàm in scientia & sermociatione de te. Da Domine, ut cognoscendo, voluntatem tuam faciamus; faciendo, ampliùs in ejus cognitione atque amore crescamus; & crescentes, ad faciendam illam, solidiùs assurgamus ac roboreremur. Da nobis Domine quod jubes, & jube quod vis: miserere nostrî sicut scis & vis. Da nobis Domine, ut quidquid vis, sciamus; quidquid scimus, faciamus; quidquid facimus, in eo crescamus, proficiamus, & perseveremus, per te Deum nostrum, & per gratiam tuam, fontem & virtutem omnis virtutis nostræ, ad gloriam tuam & ad gustum voluntatis tuæ, & ad exaltationem dignitatis tuæ!



SERIES